



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

[§. 1. De ea in genere.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## TITULUS XIV. LINGUA.

## §. I.

De ea in genere.

**M**ors, & vita, in manu lingua. Prov. 18. 21. Alludit ad naturam linguæ, quæ in embryone ultima animatur; & in moriente homine prima vitæ destituitur, teste Aristotele, & Plinîo. Sic evenit in Ethica linguæ: in vita Spirituali linguæ perfectio ultima acquiritur, juxta Jacobum 3. 2. *Si quis in verbis non offendit, hic perfectus est vir.* Vice versâ mors animæ communiter à vitio exordium capit. Audi Plinium l. 11. c. 37. os primum mori tradunt, cor novissimè. S. Chrysoft. in Pf. 140 mortis unicum ferè ostium lingua est. Corn. hic.

*Capit loquitur.* Luc. 7. 15. Loquela Signum vitæ. Gen. 2. 7. *factus est homo in animam viventem.* Chald. *in animam loquentem.*

Sicut plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, & vocalem reddit sonum. S. Hieron. ep. 27. ad Eustoch.

Cùm ad tria data sit homini loquela, scilicet ad laudandum Deum, ad edificandum proximum, & ad accusandum seipsum; hæc triplex loquela aufertur per triplex dæmonium: primum aufert spiritus luxuriæ; secundum spiritus avaritiæ; tertium Superbiæ; S. Bonaventura in c. 11. Luc.

Lingua est ad similitudinem gladii facta: ut sit ad defensionem veritatis, & expugnationem erroris. If. 49. 2. *posuit os meum quasi gladium acutum.* Lingua est rubicunda; ut verecundetur proferre verba inhonesta. Geminiani l. 6. c. 75.

## §. II.

Lingua prodit hominem, &amp; ejus mentem.

**N**ec poterant ei quidquam pacificè loqui. Gen. 37. 4. Silere nesciunt labia, quod mens loquitur. Alvarez. Illustr. 41.

*Docuit iniquitas tua os tuum.* Job. 15. 5. Pineda: nota, quod lingua, & os, dicantur esse quasi cordis discipulus: instruit enim interior affectus non solum os, & linguam, ad loquendum; sed etiam manus, cæteraque membra, ad operandum.

*Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua.* Pf. 51. 4. de impio loquitur. Si ad intellectum cogitationes spectant, quomodo injustitias lingua impiorum cogitat? vult dicere: adeo fidelis, promptusque, legatus mentis lingua est; ut, quidquid in mente agitur, illa etiam reddat. Alvarez. Illustr. 41.

Polyanib. Sacr. Tom. I.

*Seraphim stabant super illud.* If. 6. 2. Querit S. Chrysoftomus, quis indicavit Hæia, esse illa Seraphim? aut quæ signa in eis viderit, ut sic de illis existimârit? Respondet: ex lingua, beatos illos spiritus agnovisse: nimirum *clamabant alter ad alterum, - Sanctus! Sanctus! Sanctus!* v. 3. Didacus Niff, D. 3. Quadr.

*Locutus est musus.* Luc. 11. 14. Estimatio hominis, sive bona, sive mala, à lingua. Energumenum, licet jam videret, & audiret; solum tamen Evangelista locutum memorat; cùm dicere posset, vidisse præterea, & audisse: ut significaret, nullâ re aliâ tantam potuisse conciliari fidem miraculo, quàm quod homo ille locutus, & bene locutus, fuit. Idem ibidem.

*Non inventus est dolus in ore ejus.* 1. Petri 2. 22. Vult Petrus demonstrare innocentiam, & vitam semper intaminatam, sui Magistri; quæ talis fuerit, ut peccatum non fecerit ullum levissimum. At quod argumentò id probat? inde: quod *dolus non est inventus* &c. nihil fraudulenter, nec malè, de quoquam, sed optimè de omnibus, semper locutus. S. Laurent. Just. de triumph. c. 10. observat Caiphas callidè, si fortè ex ore Mediatoris aliquem incompositum sermonem agnosceret: propterea cernens, quod nihil fallis objectionibus respondisset, tentavit, si quò modò ipsum concitaret ad loquendum: in tacentis quippe lingua nihil reperitur indignum. Id. ib.

Nullò modò potest homo melius cognosci, unde sit? & qualis sit in corde? quàm per loquelam. Sanct. Bonaventura l. 50.

## §. III.

Lingua custodienda, frænanda: vix frænatur.

Ex Veteri, &amp; Novo.

*Sæderunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum.* Job. 2. 13. S. Chrysoft. hom. 4. in Job: tenuerunt linguam; nè properè inciperet: sed incipientem semel nequaquam moderati sunt, nè se ex consolatione ulq; ad contumelias effrænaret.

*Posui ori meo custodiam, cùm confisteret peccator adversum me.* Pf. 38. 2. Quid agis prudentissime Rex? dæmon adversus te confurgit, & totus in linguæ occuparis custodia? quid ab hostis callidi dolis silentium juvet? Scutum accipe, lorica sume. Hugo Card. hic ostendit, quod hoc fecit; quoniam magis necessarium fuit; scilicet *cùm confisteret peccator*

PPP PP 2 tor